



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 70. Carolus III. Hispaniæ Rex in Imperatorem Romanum electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](#)

Impen-
tisfites
esiarun-
existe-
quæ h-
e cor-
em fa-
ges peo-
na cum
canda-
legum,
iæ sua
rotella-
olemnis
electio-
on vo-
cassam
quid-
1, noo-
ndarit.
et, at-
criptio-
robore
m elle-
s novi-
munis
totius
ur..
ebatur
vari e-

§. LXX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

Carolus VI. Hispaniæ Rex in Imperatorem Rom. electus.

Enimvero Albanus Papæ Nepos utrumque Electorem ad suffragium admitti omni conatu adlaborabat, cum vero ambo Electores proscripti adhuc in hostium potestate, castrisque degarent, nemo quisquam eorum contestationibus deferendum censuit; Convenientibus ergo ceteris Imperii Electoribus leves de electionis termino, necnon de certa & perpetua ut vocant, *Capitulatione* contentiones agitabantur: magis etiam periculosas electioni moras injecere Galli, qui Villario Ductore cum valido agmine e Flandria ad Rhenum jam Mense Junio contenderunt, electionem, quam ratione nequierant, armorum metu interturbaturi: Verum Eugenii Principis solertia hæc Gallorum molimina fregit; ipse enim exeunte Mense Julio cum militum robore Philippoburgi Rhenum transgressus, secundum Spiram amnem tetendit, Gallosque tam arcte inter Lauterenses ageres continuit, ut hi viribus licet superiores, Principis virtutem laceſſere non auderent: Insuper brevis altercatio vix non in mutuam animorum contentionem

Epiſt. Clem.
pag. 1586.

Sæc. XVIII tionem exardescerat; Annibal enim
A. C. 1711. Albanus Papæ Legatus pro imaginariō, ut creditum, honoris merito pri-
mos ubique honores, dextrumque la-
tus sibi deferri, & S. R. Imperii Elec-
tores loco ac honore præcedere am-
biebat, his vero cedere recusantibus
mutua altercatio enata est, Legatus
tamen intercessione interim opposita
querulas desuper literas ad Papam de-
dit, qui etiam auctoritatem Apostoli-
cam vilipendi ratus, die prima Se-
ptembris ad Moguntinum & Trevirem
sem Electores hæc perscripsit: „Ma-
„gnopere pro rei gravitate commoti
„sumus, ubi non ita pridem accep-
„mus Fraternitatem tuam, amplissime
„dignitatis, quam sanctæ hujus Sedis
„beneficio in Ecclesia Dei obtinet, ob-
„litam, ac solemnis juramenti, quod
„in suscipiendo Consecrationis munere
„palam emisit, de Legatis ejusdem
„sanctæ Sedis honorifice tractandis
„prorsus immemorem, Dilecto Filio
„Annibali Albano Nostro secundum
„carnem Nepoti, cui nostri & prædictre
„Sedis Nuntii munus commisimus, eas
„debiti honoris significationes, quas
„Prædecessores tui Apostolicis istarum
„Partium Nuntiis exhibere alias con-
„sueverunt, tribuere abnuisse. Eti-
„vero Nos minime lateat, quid abs-
„que

„que ulla cunctatione gerendum No- Sæc. XVIII.
 „bis esset, ut illatam eidem Nuntio A.C. 1711.
 „nostro, adeoque Nobis ipsis, & Apo-
 „stolicæ Sedi tam insignem injuriam
 „propulsaremus, nihilominus, ne ad
 „eam persequendam, propterea quod
 „Nepoti nostro irrogata fuerit, ab hu-
 „manis carnis, & sanguinis rationibus
 „potius, quam a debito, quo obstrin-
 „gimur, tuendi Pontificiam dignita-
 „tem, ac prædictæ Sedis honorem, in-
 „citari videremur, hoc sane nomine
 „mitius, atque benignius Tecum age-
 „re, tuæque resipiscentiæ locum præ-
 „bere constituimus. Itaque Fraterni-
 „tatem tuam paterne hortamur, Tibi
 „que Apostolica auctoritate mandamus,
 „ut quacunque sublata mora eas hono-
 „ris significaciones, quæ a Prædecesso-
 „ribus tuis tributas fuisse constat Apo-
 „stolicis Nuntiis, præsertim vero bonæ
 „memoriæ Josepho tum Archiepiscopo
 „Cusentino, quem fel. rec. Alexander
 „VII. Prædecessor noster ad Electora-
 „lem Conventum, ubi clar. mem. Leo-
 „poldus in Regem Romanorum futu-
 „rum Imperatorem electus suit, able-
 „gaverat, eidem Annibali Nepoti no-
 „stro omnino deferas, ac exhibeas.
 „Quodsi secus egeris, scire te volu-
 „mus, Nos, et si invitos, incunctanter
 „ad ea progressuros esse, quæ a S. Ca-
 „noni-



Sæc. XVIII „nonibus in ejusmodi casibus constituta
A. C. 1711 , sunt adversus eos . qui ab officio di-
„scendentis , reverentiam ac obedien-
„tiam huic S. Sedi debitam præstare
„detrectant . Verum meliora prorius
„de filiali tua in Nos , & eandem Se-
„dem observantia Nobis pollicemur &c.

Pariter incassum Nuntius Apostoli-
cuss contra Regium Borussi titulum ,
& Hannoverani Electoratum recla-
mabat , cunctaque hanc in rem in Im-
perio Romano acta velut irrita haberi
obtendebat : Tandem vero rebus om-
nibus compositis Carolus VI. summa
omnium consensione die duodecima
Octobris Romanorum Rex Francofor-
diæ creator , moxque Carolus Comes
Palatinus Tyrolensis Gubernator , &
Josephus Sultzbacensis Princeps ab Ele-
ctorum Collegio selecti , atque ad Ca-
rolum Regem ablegati , die trigesima
Octobris eidem electionis diploma Me-
diolani obtulerunt , inde vero Rex
Oeniponto , recepto a Tyrolensibus ho-
magio , Francofordiam decima nona
Decembris die venit , ibidemque die
vigesima secunda Decembris Romano-
rum Imperator inauguratus est , gratu-
latoriis a Papa literis die decima nona
Decembris salutatus : Perausta hac so-
lemnitate Carolus Imperator die un-
decima Januarii Francofordia discedens ,
die

die vigesima sexta ejusdem Mensis sine Sæc. XVIII.
singulari tamen pompa Viennam in- A.C. 1711.
gressus est.

§. LXXI.

*Continuatio belli Episcopalis in
Gallia.*

Privata dissensio, quæ inter Noaillum *Dorsanne*
Cardinalem & Rupellensem ac Lu- *Journ. t. x.*
cionensem Episcopos ob eorum Instru- *pag. 7.*
tionem Pastoralem enata est, com- *Lafiteau*
mune inter Franciæ Episcopos bellum *Hist. de la*
accenderat, Marsque Ecclesiasticus, *Conſt. t. I.*
unde minime debuisset, exardescere *pag. 108.*
videbatur. Scindebantur Præfules in
duas factiones, quarum quælibet sese
Patronorum numero & potentia fir-
mare certabat: quælibet pro tessera
habebat fidei integritatem, & Augusti-
nianæ doctrinæ honorem, & quod mirum
est, utraque sese contra Jansenium arma-
re, credi voluit, alia tamen aliam velut
Jansenii stipendia merentem certatim
criminabatur: Cardinalis Noaillii Pari-
siensis Archiepiscopi partes tuebantur
Forojuliensis, Viennensis, Cenoma-
nensis, Sistericensis & Genlisius Embro-
dunensis Episcopi, quorum quidam Pa-
storalem Vapicensis Episcopi epistolam
in suis Diæcesibus legi aut retineri pro-
hibuerunt. E contrario favebant op-
Hist. Eccles. Tom. LXVIII. U po-